

DISSERTATIO ACADEMICA  
HISTORIAM DOCTRINÆ  
DE  
AFFINITATIBUS CHEMICIS

EXHIBENS,

CUJUS PARTEM SEXTAM

CONSENSU AMPLIIS. FAC. PHILOS. ABOËNS.

PRÆSIDE

MAG. JOHANNE GADOLIN,

CHEMIE PROFESSORE P. ET ORD., COLLEGII IMP. MED. ASSESSORE ET EQUITE  
ORD. IMP. DE ST. WOLODIM. IN IVITA CLASSE; ACAD. IMP. SCIENT. ET  
SOCIETATIS LIB. OECONOM. PETROP. MEMBRO CORRESP.; SOCIETATIS IMP.  
NATURE STUDIOS. MOSCOVIT., SOCIET. IMP. OECON. FENNICE, REGG. ACADD. ET  
SOCIET. SCIENT. HOLMENSIS, DUBLINENSIS, UPSALIENSIS, GOTTINGENSIS, NEC  
NON SOCIET. ANTEHAC MED. CHIR. ET PHARMACEUT. BRUXELLENSIS, ACA-  
DEMIE CÆSAREÆ NATURÆ CURIOSORUM ERLANG. ATQUE SOCIETATIS  
PHYSIOGRAPHICÆ LUNDENSIS MEMBRO.

PRO GRADU PHILOSOPHICO

PUBLICO EXAMINI SUBJICIT

EVERARDUS ULRICUS SYLVANDER,

STIP. PUBL. ABOËNSIS.

IN AUDIT. PHILOS. DIE IV OCTOBRIS MDCCCXV.

H. A. M. S.

---

ABOÆ, TYPIS FRENCHELLIANIS,

IN  
SACRAM IMPERIALEM MAJESTATEM  
MAGNÆ FIDEI VIRO,  
AMPLISSIMO & CONSULTISSIMO  
SUPREMI, QUOD ABOÆ CONSTITUTUM EST, IMPERIALIS  
DICASTERII CONSILIARIO

ATQUE

ORDINIS IMPERIALIS DE S:TA ANNA IN SECUNDA CLASSE EQUITI,  
**D:NO ERICO JOH. POMOELL,**  
PATRONO AC FAUTORI PROPENSISSIMO  
SUMMAQUE PIETATE COLENDO,

*In tesseram mentis gratissimæ, ob plurima in se collata  
beneficia,*

*Sacrum voluit, debuit*

AMPLISSIMI NOMINIS

cultor humillimus  
EVERARDUS ULRICUS SYLVANDER.

a nullo alio turbata fuit, ipsum vero plurima e solutionibus facile dejecit; tardissime tamen & imperfecte illius ope præcipitari videt magnesium, ferrum & cobaltum. *A magnesio* quoque imperfecte deturbari observavit ferrum & cobaltum in acido vitrioli soluta, promptius vero cuprum. *Ferrum* facile secrevit metalla ordine sequentia, excepto cobalto, quod tarde & imperfecte acido spoliet. *Plumbi* quidem locus respectu flanni ambiguus fuit, ex analogia vero solutionum in acido salis non dubitavit, quin plumbo prioratum assignaret. *Vitriolum cupri ægre*, & vitriolum cobalti tarde & imperfecte a plumbo decomponi videt. *Stannum* perfecte separavit cuprum, parcius autem cobaltum e vitriolis. *Cobaltum cupro* anteposuit, quia hujus parum e solutione præcipitare videt, cuprum vero nihil mutare solutionem vitrioli cobalti. *Cuprum* vitriola hydrargyri & argenti plene decompositum, niccoli vero & vismuthi nonnulli qua partem. *Niccolum* evidenter hydrargyro & argento antepolluit, cum vismutho vero de prioratu certare vixum est. *Vismuthum* pariter ac *arsenicum* facile eripuerunt acidum vitriolicum e societatibus hydrargyri & argenti. *Hydrargyrus* aperte deturbavit argentum e solutione vitriolica, idemque efficit *antimonium*, quod solutionem hydrargyri non mutare valuit. Perispicum itaque fuit, quod argento post omnia metalla memorata inferior competat locus. Quæ vero *auro* & *platina* tribuenda sint loca, nondum certius decisum fuit. *Argillam* post metalla locavit, cum innotesceret, alumen per zincum, ferrum, cobaltum & cuprum destrui: eidem vero *ferrum calcinatum* cedere indubium diu fuit. Post nominatas substantias aquam posuit, cuius modica copia non turbat solutiones vitriolorum ab illis productorum. Cum vero observaret hydrargyrum, plumbum, stannum, vismuthum & antimonium, addita copiosa aqua, ab acido vitriolico avelli, dubius haesit, anne abundans aqua reliqua quoque vitriola destruere valeat, & sic fortiorum affinitatem erga acidum prodat. *Phlogisto* ultimus tributus est

L

locus,

locus, quia hoc, nisi caloris auxilio, nullum vitriolum decomponere valeat, & quia fuscus color, in acido vitrioli fortis, cum corporibus oleosis tractato, conspicuus, qui phlogisticationem ejus indicat, per adiunctam aquam facile dissipatur.

*Via secca* primum adjudicavit *phlogisto* locum, quia omnes sales vitriolici acidum suum, in igne, accidente *phlogisto carbonum*, volatile factum facile perdunt. *Terræ absorbentes, alkalia fixa & metallæ posita sunt p̄r alkali volatili*, quod juvante igne fugare valent; *argilla vero eidem postposita, cum acidum e salibus ammoniacis eripere non possit*. Qui vero præterea ordo convenientia substantiis hujus serieris, nondum exploratum esse agnovit.

De affinitatibus acidi vitrioli phlogisticati, hodie acidum sulphurosum appellati, in serie 2. repræsentatis, id tantum certius expertus est BERGMAN; quod alkali volatile e societate ejus, vi alkali fixi aut calcis expellatur, & quod aqua calcis magnesiam solutam deturbet. Metalla regulina ab hoc acido non suscipi vita sunt, calcinata vero solvi quidem, sed non alia producere salia, quam quæ per acidum vitrioli obtinarentur.

Seriem tertiam, affinitatum acidi nitri, sic ordinavit, ut terram ponderosam primo loco poneret, quia ipsam e solutione nitroso per alkalia non præcipitari vidit; alkali vegetabile secundo, cum per hoc, nitrum quadrangulare decomponatur; tertio alkali minerales, quod calcem e solutione nitroso dejicit. Similiter perspicuum fuit, quod per calcem magnesia, per magnesiam alkali volatile, per alkali volatile zincum e solutionibus separantur. Ordinem metallorum investigando observavit zincum ab hoc acido imperfecte sejungere magnesium & cobaltum, tardius ferrum, sed plumbum egregie crystallisatum, & cuprum ceteraque metalla more conservato: magnesium imperfede-

feste divellere ferrum & cobaltum, reliqua metalla facilius: *ferrum* imperfecte laxare cobaltum, ægre plumbum, citius *cuprum* & cetera metalla: *plumbum* imperfecte decomponere solutionem cobalti, in qua pulvere albido obtegitur: *stannum* in solutione cobalti immisum obscura præcipitationis vestigia præbere, in solutione autem cupri mox ex pellicula cuprea rufescere: *cobaltum* quoque in solutione cupri rufescere, in solutione niccoli nigrescere, sed vix perfectas edere præcipitationes: *cuprum* ægre niccolum dejicere, perfecte vero vismuthum, hydrargyrum, ceteraque *niccolum* vix arsenicum fecernere, sequentia perfectius: *arsenico* ægre dejici vismuthum: *vismuto* vero distincte hydrargyrum & argentum: *hydrargyrum* in solutione argenti egregias procreare arbores Dianæ: *antimonium* ex argento soluto quidquam dejicere: & *argentum*, quod memoratis omnibus cedit metallis, aurum solum præcipitare: *aurum* denique & *platinam* minime omnium ab acido nitri attrahi, quia nonnisi alienis adhibitis viribus calcinata ab eo solvantur. Reliquarum substantiarum loca nondum esse certo explorata commemoravit. *Aquam phlogisto* anteponendam esse indicare visa sunt phænomena acidū nitri phlogisticati cum aqua mixti. Et quamvis, potissimum propter aviditatem *phlogisti*, metalla aggredi videatur acidum nitri, immo stannum atque antimonium toto suo phlogisto orbare, in serie tamen substantiarum ipsi assinium phlogiston metallis postponendum esse judicavit BERGMAN, quia plerisque horum nonnisi partem *phlogisti*, sine caloris adjumento eripere valeat.

*Via secca* acidum nitri eodem ordine ac acidum vitrioli diversas attrahere substantias Bergmanno probabile fuit, imprimisque minime dubium, quin heic quoque *phlogisto* primus competit locus, cum sub detonationibus acidum nitri cunctas deferat bases salinas.

In quarta serie affinitates exhibitus acidi nitri *phlogisticati* (hodiernorum acidi *nitroſi*) obſervavit idem alkalinas ſubſtantias & metalla omnino ſolvere, immo metallis adeo calcinatis, ut acido nitri non obedient, phlogiston ſolutioni neceſſarium promere. Ordinem vero affinitatum nondum idoneis experimentis exploratum præcedentibus adaptavit.

*Acidi ſalis* affinitates, in ſerie quinta, eodem ordine ac acidi vitrioli exerceti judicavit. Comperit enim terram ponderosam illo ſolutam non dejici ab alkali vegetabili; vi alkali vegetabilis expelli alkali minerale; per alkali minerale calcem extrudi; per calcem separari magnesiam, alkali volatile & metalla. *Magnesiam* alkali volatile p̄eponendam eſte ex fundamento ſupra memorato conculſit, haud ignarus, quod vicifim aliquam portionem magnesiæ ex acido ſalis teſtingere valeat alkali volatile, propter pronitatem trium ſubſtantiarum in ſalem triplicem coēundi. *Alkali volatile* nihil contra calcem valere, metalla vero dejicere vidit. *Zincum* imperfekte magnesium & cobaltum fecernere, plumbum crystallatum p̄eberere, & reliqua metalla tub pulveris forma p̄ecipitare; *magnesium* non completam facere ſeparationem ferri & cobalti; *plumbi* vero perfecte crystallinam; *ferrum* facile diuellere metalla deinceps nominata, exceptis plumbo & cobalto; *plumbum* parum eſtanno & cobalto dejicere, cuprum ceteraque clarius; *ftannum* ſimiliter ac plumbum, rēpecto ordine ſequentium metallorum ſe habere; *cobolum* in ſolutione cupri ægre rufescere; *cuprum* vix ſenſibiliter nicolum dejicere, perfecte autem *vismuthum*, *hydrargyrum*, *argentum*; *nicolum* ægre detuſbare aliquid *vismuthi*; *vismuthum* vix laxare *hydrargyrum*, *arsenicum* & *antimonium*; *arsenicum* in ſolutione *vismuthi* nihil efficere, *hydrargyri* vero aliquid dejicere; *hydrargyrum* in ſolutione *antimonii* ſegnitiem amalgamatis, & pelliculam obscuram contrahere; *antimonium* ſolutionem *argenti* parum mutare; *argenti* facultatem ſeſe cum acido ſalis con-

conjugendi, propter insolubilitatem connubii, non exinde cognosci potuisse; aurum quidem & platinam calcinata, ab acido salis solvi, qua ordinem vero affinitatum nondum tali cognita esse, pariterque ambigua esse loca argillæ, calcis ferri & aquæ; phlogisti unionem cum acido muriatico manifestatam esse existimavit BERGMAN in aëre inflammabili, sub solutionibus metallorum in hoc acido, producto; quemadmodum etiam similis aëris species ex phlogisto & acido vitriolico generetur.

*Via secca* ordinem in antecedentibus seriebus significatum valere conjectavit, cum alium non indicarent experimenta.

Serie sexta representatæ sunt affinitates acidi salis dephlogisticati (nostro tempore nomine acidi muriatici oxygenatæ), quod ex acido salis muriatici, per privationem phlogisti produci existimavit. Hinc facile explicare potuit, cur in substantias inflammabiles fortiter agat, harumque subsidio plerumque ad naturam acidi salis revertatur. Metalla integræ vident cum hoc acido facile conjugi, & eadem omnino propugnare salia, ac calces metallicæ cum acido salis non mutantur; indeque probabile ipsi fuit, quod pleræque ejus aliæ etiam conjunctiones ex attractione phlogisti corporum derivandæ sint, & quod alkalinæ substantiæ, quæ ad salia cum illo formanda aptæ esse deprehendebantur, phlogiston in sinu suo soveant. Sed nondum ipsi fatis perspecta fuerunt hæc phænomena, ideoque neque de ordine, quo alkalia, terræ & metalla cum hocce acido societas jungere ament, certius quid decisum habuit. Ob similitudinem acidorum normam adoptavit seriei acidi nitri phlogisticati.

*Aqua regia*, quæ materia est seriei 7:mæ, utpote formatæ ex acidis nitri & salis, atque per horum mixtionem orto acido salis dephlogisticato, virtutes suas a natura horum trium acidorum derivare vila est. Ordinem affinitatum acidi compo-

positi, ab ordine qui singulis partibus competit non differre, existimavit, sed luculentius sese interdum monstrare propter diversos simpliciorum acidorum agendi in metalla præfertim modos. Sic in solutionibus aquæ regiæ evidentius patet quomodo sese mutuo excipient *nicolum*, *arsenicum*, *vismuthum* & *antimonium*. Et generatim observavit BERGMAN, omnia acidæ, quoque experiri adhuc licuerit, eodem fere ordine constanter alia suscipiendo, alia dimittere metalla; atque præcipitationes metallorum per se invicem rectius dici vi duplicitis, quam vi simplicis affinitatis peragi, cum non metalla ipsa, sed calces eorum ab acidis solvantur, propter aque præcipitans suum phlogiston semper tradat præcipitato. Sed quia nonnulla indicaverunt experimenta, diversas calces metallicas æquali prorsus vi ab acidis suscipi, probabile evasit, omnem metallorum mutuam ex acidis præcipitationem, non nisi ex diversa inter calces eorum & phlogiston attractione dependere, atque communem illum ordinem, quo in seriebus acidorum comparent metalla, inversum esse ejus, quo a phlogisto attrahantur.

Series octava substantias complectitur *acido fluoris mineralis* affines, novo tum acido, a SCHEELE ANNO 1771, in spatho fluorico detecto, & variis proprietatibus peculiariter ab aliis acidis distincto. Inter has consideranda jam venit major ad calcem & magnesiam, quam ad alkalia fixa attractio. *Calci* quidem in hac serie primum locum dicavit BERGMAN, cum videret & alkali vegetabile acido fluoris saturatum per calcem decomponi, & terram ponderosam vi ejus in aqua solutam, adluita aqua calcis menstruum acidum deserere & nudatam præcipitari. Ex analogia ceterorum acidorum post calcem & terram ponderosam posuit *magnesiam*, cuius locus nondum directo experimento fuit determinatus, dubius tamen hæsit, annon calci præponenda eslet *magnesia*, siquidem magnesiam acido vitrioli, calcem vero non cipere valeat acidum fluoris.

Neque

Neque via sicca adhuc satis confirmatum esse autumavit substantiarum ordinem, de quo id tantummodo certius exploratum eset, quod fluor mineralis (s. acidum fluoricum calce satiatum) ab alkali fixo caustico non decomponeretur.

In serie nona affinitates sifuntur acidi arsenici, (similiter non ita pridem detecti & a SCHEELLE primum accuratius descripti), quod etiam calcem alkali fixo preferre visum est, cum alkali vegetabile arsenicatum ab aqua calcis mox decomponeretur, libero evadente alkali puro. Quod vero apud idem terra ponderosa & magnesia alkalibus praepolleant, presumpta BERGMANNO fuit opinio, experimentis nondum corroborata. Metalla in hac serie enumerata ab acido arsenici solvi competit, & observavit sub solutione ferri non produci aerem inflammabilem, quia phlogiston in ipso acido coaguletur.

Ad explicandam feriem 10:maam, affinitatum acidi boracis, experimentum attulit Boracis cum calce vive cocti, quo acidum cum calce saltem ægre in aqua solubilem efficere videbatur, deferto alkali minerali caustico, & ex probabilitate conjectavit idem valere calcem in acidum boracis cum alkali vegetabili conjunctum, terramque ponderosam & magnesiam similiter alkalia fixa e societate hujus acidi depellere. Attractione acidi boracis ad metallæ in hac serie nominata apparuit præcipitatione salium boracinorum metallicorum difficillime solubilium ex commixtis salibus metallicis solubilibus cum acido boracis alkali cuidam ad saturationem nupto.

*Acidum sacchari*, cujus genesin e saccharo per acidum nitrum mutato, & naturam primus descriperat BERGMAN, obiectum seriei 11:mae, calcem preferre vedit & aliis terris & alkalibus, salem cum illa efficiens in aqua proflus insolubilem, indeque intellexit eximum ejus esse usum ad detegendas minimas quantitates calcis in aqua solutas. Ex hac quoque pro-

proprietate explicare conatus est utilitatem calcis, quam pro depurando succo arundinis admiscere solent sacchari confectiones, existimans succum naturalem vitio acoris laborare. Omnia fere metalla hocce acidum aggredi asseruit; idem vero, propter facilem vi ignis destructionem, nulla experimentata via secca sustinere.

Qua affinitates ad acidum tartari in serie 12:ma expositas, observavit calcem alkalibus præpollere, cum illa & totus quantus decomponatur tartarus, & salia ex alkali minerali vel volatili cum acido tartari conjunctis orta. Vires terræ ponderosæ nondum certo exploratas esse indicavit,

Affinitates acidi acetosellæ, cuius identitas cum acido sacchari BERGMANNO nondum cognita fuit, in serie 13:ma exhibens commemoravit, id tantum sibi de ordine substantiarum certo expertum esse, quod ab illo quoque acido calx alkalibus præferatur.

Novis etiam experimentis decidendum esse autumavit, num acidum citri, cuius affinitates in serie 14:ma exponere voluit, calcem aliasve terras præ alkalibus eligat.

*Acetum*, cui series 15:ma dicata est, attractionibus ad similitudinem acidorum vitrioli, nitri & salis accedere vixum est, quia idem alkali fixo calx non eripere queat. Primum quidem terræ ponderosæ nondum esse stabilitum confessus est, nihil autem invenit, quod impediret, quo minus ex hac quoque parte constet ordo apud acida illa mineralia observatus. Pariter veritati consentaneum duxit via secca valere ordinem substantiarum in serie acidi salis expositum, donec is novis experimentis confirmetur vel corrigatur.

*Acidum formicarum* (series 16:ma) aceto fortius, ceterum valde simile, simili ordine in alias substantias agere judicavit, quamvis imperfectius adhuc examinatae essent ejus attractiones.

*Acidum*

*Acidum phosphori* in serie 17:<sup>ma</sup> repræsentatum, *calcem* alkalibus præterre non dabitavit, quia vidit alkalia illi unita per aquam calcis disturbari. Incertas vero adhuc esse prærogativas magnesiae & terre ponderosæ judicavit. Via sicca calcem itidem alkalia fixa laxare invenit.

Inter substantias *acido aëreo*, in cujus naturam retegendum speciali cura incubuerat (hhh), affines (series 18:<sup>ma</sup>), primum locum assignavit *terra ponderosa*, quia hæc aërata neque ab alkalibus, neque ab aliis terris mutetur, pura vero his cum acido aëreo conjunctis addita acidum eorum sibi adsciscat. Observavit tamen actionem ejus in calcem aëratam esse ambiguam. Secundo loco posuit *calcem*, quæ respectu reliquarum substantiarum sese ut terra ponderosa habuit. Atque docuit harum terrarum prævalentiam ideo dubiam non fieri, quod utraque per superfluum acidum aëreum in aqua soluta, partem acidi abundantem aliis alkalini corporibus facile cedat, ipsaque subsidat, non pura, sed acido aëreo adhuc saturata, quia ita comparata aquæ solvendi vim respuit. Ordine sequitur *alkali fixum vegetabile*, quod cum iusta proportione alkali mineralis aërati in aqua solutum, facta evaporatione, exhibeat alkali vegetabile acido aëreo satiatum & crystallinum, retinente lixivio alkali minerale causticum. *Alkali minerale* pariter ac vegetabile substantias deinceps numeratas acido aëreo nuptas decomponere vidit; sed ea generatim lege, ut operatio progrediatur longe facilius initio quam versus finem, & quod ad completam resolutionem perficiendam plerumque multiplum requiratur pondus substantiarum de componentis, respectu quantitatis ad saturationem acidi necessariæ. *Magnesiam* præcedentibus acidum aëreum cedere,

M

idem

hhh) *Commentatio de acido aëreo*, in codem volumine 2:do Acteum Upsal.

idemque alkali volatili totum eripere observavit. Ne vero quis putaret contrarium evenire, cum alkali volatile causticum præcipitationem efficiat in solutione aquosa magnesiae aëratæ, monuit BERGMAN hanc solutionem non locum habuisse nisi aqua impregnata eset abundante acido aëreo, & hoc per alkali volatile absorpto, decidere magnesiam plene aëratam ab alkali volatile puro non deponendam. Metalla ab acido aëreo soluta per omnia alkalia & terras causticas præcipitari deprehendit, eadem autem interdum a copiose affusa materia præcipitante disolvit, ex. gr. ubi zincum per alkali volatile dejicitur. Ordo inter diversa metalla huic seriei conveniens, ob insolubilitatem metallorum aëratorum in aqua pura, & solubilitatem eorundem vi abundantis acidi aërei, directe non potuit indagari, nihil vero BERGMANNO visum est impedire, quin idem ille sit, ac in seriesbus aliorum acidorum.

Inter alkalia fixa, quorum affinitates seriesbus 19 & 20 indicatae sunt, ea quidem apparuit differentia, quod vegetabile cunctas substantias fortius attrahat quam minerales, nullum vero invenit BERGMAN dissensum inter ordines attractionum utriusque convenientes, suisque experimentis confirmatum habuit, quod, via humidæ acidum vitriolicum nulli alijs acido alkalia cedat, acidum nitricum vitriolico, utriusque horum acidum salis, atque huic cetera omnia acida. Ordinem inter acida arsenici, fluoris & phosphori non determinata esse agnoscit, singula vero acido sacchari præpollere expertus est. Similiter pro incognito habuit ordinem inter acida acetosellæ, tartari, citri, formicarum, quæ omnia areto sint fortiora. Per acetum vero expelli vidit acida boracis, vitrioli phlogisticatum, nitri phlogisticatum, & per hæc omnia acidum aëreum, quod silem, sulphur & olea e solutionibus alkalinis præcipitare valeat. Incertum ipsis fuit quæ seriei loca cupro & stan-  
no debeantur, cum hæc metalla nonnihil calcinata ab alkali-  
bus suscipiantur. — Observavit via secca, acida fixa phosphori,  
borac-

*boracis & arsenici* reliquis palmae præcipere, de cetero existimavit eundem inter cunctas substantias, exceptis iis, quæ in igne destruuntur, valere ordinem, qui via humida obtinet. *Terras* quidem singulas cum alkalibus in igne coalescere comperit, quo vero ordine appetantur, eruere non potuit, cum aliis per aliam separatio locum non habeat.

Attractionum *alkali volatilis* (series 21) eundem esse ordinem ac alkalium fixorum non dubitavit, præterquam quod ab illo plura suscipiantur metalla. Quæ eo inter se ordine, qui in seriebus acidorum observatus fuit, collocanda esse censuit, quoniam similiter cetera ab alkali volatili soluta per zincum præcipitantur, atque generatim neque metalla integra, neque plene calcinata, sed justa tantum phlogisti dosi privata cum hocce alkali confociantur. — *Via secca* excludendas esse putavit substantias fixas, ex quibus vi ignis expellatur alkali volatile.

In serie 22:da, attractiones *terra ponderosa* (*barytæ ho- diernorum*) sifente, indicavit acidum vitrioli præ omnibus aliis materiis potentius esse, quod ubicunque terram hanc offendit, spathum generet ponderosum in aqua insolubile, & nullo acido decomponendum. Sequitur acidum sacchari, quod simili præcipitatione fortitudinem præ acidis nitri & salis nuntiavit. Idem efficere observavit acida fluoris & acetoselle, de quorum inter se prioratu dubius hæsit. Acidum nitri & acidum salis reliquis prævalere invenit. De ordine ceteris competente incertus fuit, sed post acetum locavit acidum arsenici a quo non turbari videbatur terra ponderosa acetata. *Via secca* non comparuit affinitas inter terram ponderosam aliquaque terras, præterea vero probabile fuit, serie affinitatum illam non differre ab alkalibus. *Alkali fixum & plumbum calcinatum* cum eadem colligescere observavit.

In serie 23, affinitates calcis exhibente, prima loca attrahuit acidis sacchari & acetofella, quae calcem acido vitrioli, ceterisque omnibus eripiant: acidum vitrioli nitrico & reliquis praepollere, acidum tartari phosphorico, phosphoricum fluorico & frequentibus prevalere certum fuit; verisimile vero, quod acidum fluoris supereret acida nitri & salis, & minime dubium, quin tria haec acida fortius quam acidum formicarum & acetum calcem attrahint. Non æque luculenter acetum superare visa sunt acida citri & boracis; & acidum arsenici nonnihil ex concentratis in acido formicarum vel aceto solutionibus calcem extrahere valuit.

*Via secca* a terra pondrosa, qua ordinis affinitatum, vix differre monuit calcen, magnesiam (ser. 24) & argillam (ser. 25), nisi quod argilla nihil in sulphur efficiat.

Serie 24:ta significavit magnesiam fortissime attrahi ab acido fluorico, quod magnesiam vitriolatam facile destruat: secundum locum competere judicavit acido sacchari & inter reliquias substantias ambigua esse loca acidorum acetofella & citri.

De argillæ (series 25) affinitatibus observavit, acido vitrioli primum, nitri secundum & salis tertium competere locum, atque reliquorum ordinem non esse certo determinatum, præterquam quod constet acida fluoris, arsenici, sacchari, tartari & phosphori argillam aceto eripere.

*Terram sliceam*, serie 26 representatam, quam, svalentibus experimentis scheelianis ex vaporibus acidi fluoris aquæ progigni existimavit, fortius ab acido fluorico quam ab alkali fixo attrahi censuit, cum videret liquorem silicum per illud acidum præcipitari. *Via secca* facilime cum alkali fixo liquefcere vidi silicem, cuius etiam ope boracis, minii aliarumque materiarum non ægre succedat fulio.

Affig

Affinitates aquæ in serie 27 ita ordinavit, ut primo loco poneret alkali fixum, cui eam cedere alkali volatile non dubie videbatur. Minus manifestum esse locum spiritus vini putavit, a quo & aqua & alkalia solvantur, qui vero evidentius dejicit salves & aetherem in aqua solutos. Ad aliam seriem pertinere judicavit acida, quæ aquam vehementer appetentes, eandem variis salibus eripiant.

*Aëris nudi* (jam *gas oxygenium appellati*) affitiones, quas respicit series 28.va, tempore BERGMANNI parum cognitæ fuerunt. Probabilis ipsi fuit theoria SCHEELII, quod ignis producatur ex coniunctione hujus aëris cum *phlogisto*, cui in serie affinitatum ipius primus competit locus. Secundum attribuit *acido aereo*, quocum laxius cohaerent, & tertium aquæ, quæ eundem sibi ægre adsilcat.

*Phlogisti*, in serie 29.ma spectati, nomine dudum venerat subtilissima materia, quam pro principio inflammabilitatis habuerunt chemici. Eadem maxime affinis esse ponebatur *aëri puro*, cuius ope omnis peragi videbatur inflammatio, deinde *calci magnesii nigrae*, qua & alkali volatile & acidum salis & plurima alia corpora phlogistica suo phlogisto orbentur; deinde *calci hydrargyri*, quæ idem efficiat, sed minus complete, quæque, accidente calore, attractum phlogiston acidis facile cedet. *Acida nitri & nitrioli pœ acido salis dephlogisticato* pollere visa sunt, quia phlogiston acidi marini segreget acidum nitri, neque sulphur mutare valeat acidum salis dephlogisticatum. Hoc vero pœ acido arsenici præferentiam attractionis ad phlogiston demonstrat, cum ex calce arsenici alba acidum hocce producat.

*Via seca* primum in serie locum occupat *platina*, quam dephlogisticare nequeat acidum nitri in cetera metalla manu feste efficax, Post acidum nitri sequitur *aurum*, phlogiston nulli alii subr-

substantiæ cedens: deinde acida *vitrioli* & *arsenici*, quæ dephlogisticare valent argentinum & hydrargyrum, nobilia nuncupata metalla, quod calces eorum sine additamento ex ipso igne recuperent phlogiston ad reductionem necessarium, & hoc propterea fortius attrahant quam aer nudus. Inter illas ultimum locum obtinuit *cax hydrargyri*, quæ in minore caloris gradu phlogiston metalli æci cedat. Aer nudus antepositus fuit calcibus metallorum *ignobilium* s. *imperfectorum*, quorum inter se ordo, ex phænomenis solutionum in acidis, ut antea memoravimus, determinavit BERGMAN, ita nempe, ut eset inversus ejus, quo lese mutuo præcipuent metalla.

Inter substantias *sulphuri* affines (series 30) prærogati-  
vam competere alkali fixo autemavit, quod hepar calcis aqua  
solutum destruat: locum autem terræ ponderosæ nondum cer-  
tius esse determinatum. *Magnesiam* puram nonnihil sulphuris  
solvere videt. Quousque terris præpollat alkali volatile non-  
dum esse exploratum, minime vero ambiguum, quod huic  
sulphur eripiant *hydrargyrus* & *arsenicum* etiam *calcinatum*.  
Ceterorum quoque metallorum calces cum sulphure uniri posse  
ostendunt exempla *ferri* & *plumbi*. Humectione operatio-  
nem accelerari, immo calcem plumbi sic adimere sulphur ipsi  
alkali fixo intellexit. Locum oleorum ambiguum adhuc esse.

*Via sicca* primum locum competere alkali fixo non dubi-  
tavit, illudque sequi metalla, quorum ordinem ex mutuis pæ-  
cipitationibus determinavit; quocirca incerta adhuc esse loca  
*niccoli* & *cobalti* observavit, & sulphuris unionem prout  
respuisse *aurum*, *platinam*, *zincum*, & probabiliter *magnesium*,  
nisi additamento idoneo adjuvetur conjunctio, quemadmodum  
*ferro* in *pyrite* auri praesente.

*Hepar sulphuris salinum*, sive alkali fixum cum sulphure  
conjugatum, salva compositione variis adiociari potest substan-  
tiis,

tiiis, propterea que affinitates suas seorsim in serie 31:ma consideratum fuit. *Via humida* diræcione quidem nonnisi *hydrargyrum* & *arsenicum* solvere animadvertisit BERGMAN, fusione vero illud metalla fere omnia ita secum jungere & transformare, ut deinde aquam quoque subire queant.

*Via secca* distinctius ex ejus, quam ex solius sulphuris so-  
cieta te mutuo præcipitare metalla observavit, quo vero or-  
dine hoc fiat, novis experimentis accuratius esse indagandum  
monuit. *Magnesium* & *ferrum* se invicem præcipitare non  
vidit; maxime dubia esse loca *hydrargyri* & *arsenici*, & i-  
gnota proflus quæ autro atque *antimonio* competant, memora-  
vit. *Carbones vegetabilium* etiam ab hepate solvi deprehendit.

*Spiritus vini* (series 32) aquam præ aliis substantiis ap-  
petere, earque ordine excipere ætherem & olea essentialia ex  
experientia didicit, ut &, ambigua esse loca *alkalium* & *hepatis*  
*sulphuris*. *Sulphur*, quod difficillime, nec nisi sub forma va-  
poris a vaporibus spiritus vini, prout primus docuit LAURA-  
QUAIS, suscipi queat, ultimum obtinuit in hac serie locum.

Quo ordine collocandæ sint substantiæ cum æthere & oleis  
(series 33, 34, 35) conjungendæ, nondum tuto exploratum  
fuit; probabile tamen, quod *sulphuri* ubique infima debean-  
tur loca.

In serie 36:ta via *humida* exhibitæ sunt affinitates *calcis*  
*auri*, quæ in variis solvi posit acidis, omnibus vero, ad-  
mixto æthere eripiatur. Incertum esse ordinem, qui inter  
acida heic valeat, atque acidum *formicarum* & *acetum* auri  
calcem intactam relinquere, monuit. Efficaciam alkalium ad  
auri calcem suscipiendam patere ex phænomenis evanescenis  
præcipitati per uberioris additum alkali.

Quo

Quo ordine via secca inter se conjungantur metalla, certius erui non posse indicavit BERGMAN, quia rarissime ullæ apparet exclusiones. In his itaque seriebus prius ubique collocare conatus est quæ lubentius, & posterius quæ tardius cum metallo seriei præposito adunari visa sunt.

*Calcem platinæ* (ser. 57) similia cum acidis producere phænomena, ac auri calcem, plura vero illam subire menstrua observavit.

*Argentum* (ser. 58) ab *acido salis* fortissime attrahi, aliisque omnibus acidis auferri, in confesso cuique esse putavit, neque ambiguum, quod ab *acido sacchari* decomponatur vitriolum argenti, ab *acido vitrioli* argentum nitratum. Adeo vero imperfecte turbari vedit argentum nitratum ab acido arsenici, ut non dubitaret, quin *acido nitri* in hac serie postponendum esset *arsenici acidum*. Indeterminata esse loca ceterorum acidorum, quibus adnumerandum sit *acidum aëreum*, quoniam argentum alkali aërato præcipitatum, id secum teneat ligatum. Cum alkali volatili quoque conjungi argentum calcinatum, sed hoc connubium, ad alium salium ordinem pertinere.

E societate *hydargyri* (ser. 59) excludi omnia alia acida vi *acidi salis*, similiterque per *acida sacchari*, *acetosellæ*, *arsenici* & *phosphori* promptè expelli & *acidum vitrioli* & *acidum nitri*, nondum vero manifestum esse inter singula hæc acida ordinem observavit; dubia quoque loca *acidi citri* & *tartari*, quæ *hydrargyram* ab *acido nitri* frigide solutum copiose præcipitant, parce autem eum, qui caloris ope suscepimus fit: *acido vitrioli* cedere *acidum tartari* & *acido nitrico acidum fluoris*. Ab *acido formicarum* non dissolvi calcem *hydrargyri*, testimonio MARGGRAFII confirmavit. Accuratius determinanda esse loca *aceti*, *acidi vitrioli* *photogisticati* & *boracis* censuit. Cum *acido aëreo*, præcipitatione coire calcem *hydrargyri* in pulvrem compositum, in aqua insolubilem, vedit,

Plumæ

*Plumbum* (ser. 40) vi acidi vitrioli omni alii acido eripi; & acida sacchari, arsenici, tartari, phosphori, acetoselle, quorum inter se ordo ulteriore egeat examine, expellere acida salis & nitri certius comperit: immo acidum fluoris indubie, probabiliterque acida citri & formicarum aceto prævalere. Acidum aëreum æquali vi attrahere visum est calcem plumbi & alkali fixum, quia alkali aëratum ex addita calce plumbi qua partem causticum evadit, cum vicissim calx plumbi aërata per copiosum lixivium causticum, suo acido spolietur. Meininit, calcem plumbi via humida ab alkali fixo puro & ab oleis unginoſis solvi.

Ad seriem 41:mam, affinitatum cupri, obſervavit, metallum e cupro falito & vitriolato per acidum sacchari eripi; idemque tardius efficere acidum tartari. Quod acidum salis cuprum in ſolutione vitrioli coerulei latens fecum conjungat, patet & ex mutatione coloris in liquore mixto, & ex manente limpiditudine poſt adſuſum ſpiritu mxi, qui vitriolum cupri, ſi ſupereret, e ſolutione aquoſa præcipitaret; obſervavit vero prærogativam acido vitrioli conciliari in vale aperto, acedente actione caloris & radiorum ſolarium. Vedit acidum salis ex ſolutione cupri nitrati album dejicere pulverem cupri faliti cum excedente baſi, vitriolico quoque expelli acidum nitri, & arsenicali acetum. Reliquorum acidorum vires non eſſe ſufficienter iuſtificatas, neque ordinem, qua alkalia & olea cuprum aggrediantur.

*Ferrum* (ser. 42) in acido vitrioli ſolutum fecerni promtius per acidum sacchari vidit, tardius per acidum tartari, productis utrobique falibus diſſiculter ſolubilibus: acidum vitrioli ante acidum salis poluit, quia vitriolum viride ſolvitur quidem ab acido salis, ſed separatur iterum, addito ſpiritu vini. Acido arsenici acetum cedere comperit: de juſto reliqua rum ſubſtantiarum ordine in incerto fuit.

Affini-

Affinitates flanni, quas spectat series 43, dubias esse & difficiles detectu monuit, cum flannum, nonnisi abundante acido, in solutionibus suspensum teneri queat: certius tamen constare, quod *acida vitrioli & salis* magis valeant quam *acidum arsenici*, & hoc magis quam *acetum*, & quod ab omnibus alkalibus solvi possit calx flanni.

De affinitatibus vismuthi (series 44) expertus est, *acida sacchari, acetosellæ, tartari, phosphori & arsenici* idem ab acido *vitreoli vel nitri* solutum sibi appropriare, sales cum eo formantia ægre solubiles. Ordinem acidorum illorum inter se nondum certius determinatum habuit, ut neque inter *acida vitrioli, nitri & salis*. *Acetum & acidum formicarum* vismuthi calcinati nonnihil suscipere, idque acidis memoratis cedere.

Nicolum (series 45) *sacchari & acetosellæ* acidis a ceterorum consortio eripi, & sic sub forma pulveris virelcentis, aqua insolubilis, comparere, experimentis probavit: atque *acidum arsenici* *aceto* in hac serie postponendum esse.

*Arsenici* affinitates (series 46) parum esse exploratas indicavit, præterquam quod constet, *acido sacchari* *vitreolicum* extrudi, & hoc idem *marino* cedere, siquidem *vitreolum arsenici*, addito acido *salis*, lenissimo expositum calor i butyrum arsenici præbeat.

*Cobaltum* (series 47) in aliis acidis solutum dejici obser-  
vavit ab *acidis sacchari & acetosellæ*, in pulverem rotem in-  
solubilem. Ex productione attramenti sympathetici, commixtis  
*vitreolo cobalti & acido salis*, & ex solutione hujus mixti in  
spiritu vini intellexit, *acidum salis* *vitreolico* ademisse cobal-  
tum. Ad solutionem cobalti *acetosellam* mutandam nihil valere  
*acidum arsenie*, compert.

*Zincum* (series 48) invenit præferre *acidum sacchari* præ  
aliis acidis; *vitreolicum* præ *marino*; *vitreoli, nitri & salis*  
præ *arsenicali*; & *arsenicalo* præ *aceto*. Acidus *acetosellæ* vim,  
non exploratam, potentiorem esse putavit vi acidi *vitreoli*  
(quamvis contrarium habeat tabula).